

Melodia duplex est: Plana & Mensurata.

Melodia Plana est, quæ sub quantitate certam non cadit, & cujus Notæ expertes sunt certæ alicujus Mensuræ. Nota quibus utitur, nemini quia de characteribus sunt incognita, hic ut addantur, non opus esse ducitur.

R E G U L A.

Melodia Plana concinentium usu, non certâ regitur mensura.

Melodia Mensurata est, quæ sub quantitate certam cadit, & cujus Notæ Mensurâ reguntur.

R E G U L A.

Melodia mensurata quia ad certum tactum est intenta, æquabilem in partibus eum, sibi ad finem usq; modulationis vindicat.

Symbolum (à *συνεξέδομαι*, id est, mente assequor) est ad Melodiæ enunciationem apta quædam figura, quâ aut sono sedes præbetur, aut Quantitas soni declaratur; aut Qualitas elucescit; aut soni pronuntiatio juyatur; aut soni disponuntur; aut sonorum distantia notantur; aut soni silentium indicatur; aut sonorum repetitio inculcatur; aut diversarum vocum convenientia significatur; aut Melodiæ contextus continuatur, intellectum memoriamque confirmans & juyans, ut ea id, quod per symbolum à sensu sibi est allatum intelligant, seruent, & pro tempore ad usum transferre sint prompta.

Symbolum duplex statuitur: Internum & Externum.

Internum symbolum est, cujus nulla forma visui offertur, latentem nil minus inter externa symbola energiam habet, unde aliquid imaginando ad intellectum abit; dictum Litera, aliàs Clavis, sed perperam.

Litera est character grammaticalis, ex septem prioribus unus ex Grammatica ad Musicam translatus, aliud nihil præstans, quam ut in Scala Lineam & Spacium ex sui nominis communicatione, pro ut est Clavis in Scala præfixa, tum quoque ut sonum ipsum designet. Hæc septuplex est: A. B. C. D. E. F. G.

Differunt in eo Literæ & Syllabæ Musicales, quod hæ pronuntiationi seruiunt, illæ nuncupationi. Quamvis syllabæ nil minus dextrè nomina singulis, cum lineis tum spaciis, ex suo nomine communicare possint.

Exter-